UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S. Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXXXI. De modo, quo Christus vsus est in hoc Sacramento.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94249

Visual Library

conferre gratiã ex opere operato sub specie panis, item obtineri gratiam per cõmunionem sub specie vini, neq; etiam negari potest, si quis bene dispositus sumeret Sacramentum sub solâ vini specie inculpabiliter ignorans id non licere, quin verè reciperet gratiam ex opere operato.

Dices singulas quidem species esse collatiuas gratiæ, sed eiusdem, quæ videlicet detur, siue Sacramentum sumatur sub hac, siue sub illâ specie, siue sub vnâ, siue sub duabus. verùm id non videtur solidè dici. vnde Probatur consequentia nostri argumenti, quando Sacramentum sumitur sub duplici specie, inuenitur noua causa gratiæ, ergo nouus gradus gratiæ debet respondere. antecedens patet, inuenitur corpus & sanguis, seu sanguis cum specie vini, ergo noua causa gratiæ, cùm nouum sit Sacramẽtum. consequentia verò probatur, quia noua causa efficax gratiæ nouam gratiam potest producere, nisi inueniat obicem ex parte subiecti.

Obiectio 1. Dices 1. vis productiua gratiæ non est in speciebus, sed in corpore, & sanguine Christi, quod totum est tam sub singulis speciebus, quàm sub duabus simul sumptis.

Resp. Resp. neg. antecedens, cùm enim species concurrant ad constitutionem Sacramenti, concurrunt etiam ad rationem signi & causæ, vnde etiam illæ sunt causa productiua gratiæ; v. g. Sacramentum constitutum ex corpore Christi, & specie panis, nõ tantùm est causatiuum gratiæ ratione corporis Christi, sed etiam ratione specierum, cùm Sacramentum sit causatiuum gratiæ per omne id, quod ad eius constitutionem concurrit.

Obiectio 2. Dices 2. gratia per hoc Sacramentum confertur tanquam per conuiuium, in re autem tam est perfectum conuiuium sub vnâ specie, quàm sub duabus, quia totus Christus cum carne & sanguine continetur sub singulis speciebus.

Resp. Resp. non tantùm dari ratione rei contentę sub speciebus, sed etiã ratione specierũ, atq; ita accessu nouæ speciei accedere nouam causam propter quã gratia datur in hoc conuiuio, & per cõsequẽs nouum gradũ gratię debere accedere; seu, dico gratiã conferri in hoc cõuiuio etiam ratione signorũ.

Obiectio 3. Dices. 3. idem significatur per vtramq; speciem, cùm significetur spiritualis nutritio, & refectio.

Resp. Resp. neg. assumptum: quamuis enim sit eadem gratia, quâ nutritur anima spiritualiter, tamẽ prout acquiritur per hoc Sacramẽtum sub specie panis, acquiritur per modum sustẽtationis per modum cibi spiritualis; prout verò acquiritur per idem Sacramentum sub specie vini, acquiritur per modum cuiusdam potus spiritualis ad animam spiritualiter inebriandam, atque ita per species vini designatur noua refectio incompleta, pro quâ dari potest aliquis nouus gradus gratiæ, & videtur reipsâ concedi.

74. Conclusio intelligitur etiam inuariata dispositione. Conclusio autẽ intelligitur, non solùm quando adest noua dispositio, sed etiam quando legitima dispositio ad hoc Sacramentum recipiendum manet inuariata, quia vna eademque dispositio inuariata sufficit, vt singulę species cõferant effectũ sibi proportionatũ, & proinde plus gratiæ obtineatur per sumptionẽ vtriusque speciei, quàm vnius. patet, vna eademq; dispositio sufficit vt Sacramentum pœnitentiæ & extrema vnctio conferant suos distinctos effectus, vt si is qui antequam incideret in amentiam voluit confiteri, absoluatur in amentiâ, & recipiat extremam vnctionẽ, vnicam adfert pro vtroq; Sacramento dispositionẽ, & tamen recipiet gratiam tum Sacramenti pœnitentiæ, tum extremæ vnctionis. ratio est quòd concursus causarũ non obstet quo minùs dispositioi, quæ sufficit, vt causa suum effectum possit inducere, eundẽ producat. Confir. dispositio solũ requiritur vt aptetur subiectũ, potest autem aptari per vnam dispositionem ad recipiẽdum effectum variarum causarum.

Potest quis aptari per vnã dispositionem ad recipiendũ effectũ variarum causarum.

Obijcies contra conclusionem; Trid. sess. 21. cap. 3. dicit: *insuper declarat & c. fatendum esse etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verũque Sacramentum sumi, ac propterea quod ad fructũ attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui vnam speciem solã accipiunt.* vbi ex eo quòd totus Christus sit sub singulis speciebus, Concil. videtur concludere non fraudari gratiâ.

Obiectio Trident.

Resp. Resp. 1. Concil. non dicere simpliciter, non fraudari gratiâ, sed necessariâ ad salutem, quod verum est, quamuis plus gratiæ conferatur per vtramque speciem, quàm per vnam.

Resp. 2. Concilium non docere totum Christũ esse sub singulis speciebus, vt inde concludat tantam, vel tantam gratiam conferri per hoc Sacramentum, sed vt instruat eos qui vrgent communionem sub vtrâque specie, qui etiam inde mouẽtur, quòd existiment Christum non esse totum sub vnâquâque specie: Duo ergo eo cap. docet Concil. prius est totum Christum esse sub vnâquâque, & propterea ex eo capite non posse meritò vrgeri communionem sub duplici specie. posterius, etiam sub vnâ specie verum sumi Sacramentum, & idcirco fideles non fraudari gratiâ ad salutem necessariâ; de quâ gratiâ intelligendus est D. Th. in solutione 3. argumẽti citatâ, dicens enim ex sumptione vnius solius speciei non sequi aliquod detrimentũ, intelligit de detrimento rei ad salutem necessariæ.

Doctrina Concil. Trident. in loco obiecto.

QVÆSTIO LXXXI.

De modo, quo Christus vsus est in hoc Sacramento?

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem?

1.

AFFIRMAT, quod communiter docent Scholastici. probat ex Hieron epist. 150. ad Ebidiam, quæst. 2. *ipse conuiua, & conuiuũ, ipse comedens, & qui comeditur.* vbi cùm velit Hieron. aliquid singulare designare, non solùm vult Christum comedisse in cœnâ legali, vel vsuali, & in aliâ instituisse conuiuium, in quo ipsemet comederetur, sed quòd in eodem actu fuerit comedens, & qui comederetur. idem etiam probabiliter suaderi potest ex eo quòd Christus instituerit hoc Sacramentum per modum conuiuij, in quo inuitans solet cum inuitatis comedere. præterea verisimile est comedisse, ne discipuli horrerent eius corpus sumere, cùm audirẽt: *hoc est corpus meum.* adde potissimam rationem esse quod Christus in vltimâ cœnâ propriè sacrificauerit, & seipsum tãquam hostiam æterno Patri obtulerit, offerens autem debet participare de re oblatâ, igitur debuit se hostiam comedere, præsertim, cùm ea non aliter consumeretur, vt etiam in eo doceret sacrificantem debere hostiam sumere. ex quo patet etiam Christum suum sanguinem sumpsisse.

Resp. affir. Hieron.

Congruentia, cur Christus in cœnâ suum corpus ipse sit.

Peti

Peti verò potest, num sumpserit se sacramentaliter tantùm, an verò etiam spiritualiter? sed quæstio est magnâ ex parte de nomine. constat Christum per hanc sumptionem nullum recepisse habitualis gratiæ augmentum, sicut recipiunt ij, qui dignè ad hoc Sacramentum accedũt, & eo sensu non posse dici spiritualiter recepisse; quia tamen sumpsit cum spirituali suauitate & dulcedine, dici potest sumpsisse spiritualiter & sacramentaliter; vt docet D. Th. responsione ad 3.

Articvlvs II.

Vtrum Christus dederit Iudæ corpus suum?

Affirmat, quod tenent communiter Doctores & Scripturæ interpretes, asseruntque varij Patres. author sermonis de cœna Domini apud Cyprianum dicens Iudam sacrum cibum nẽte perfidâ tetigisse, & ore percepisse. Chrysost. homilia 82. in Matth. in illud: *sèrò autem facto*, homilia 83. & clarissimè homiliâ, de proditione Iudæ. Hieron. in caput 14. Marci exponens illud: *& biberunt ex eo omnes*, Aug. tum plurimis alijs locis, tum tract. 50. in Ioan. & 62. Leo serm. 3. de passione, & alij. Docet autem D. Th. Christum id fecisse, tum vt suo exẽplo doceret ministros huius Sacramenti non arcere ab hoc Sacramẽto occultos peccatores cum aliquâ eorũ infamiâ, tum, vt Iudam hac ratione emolliret. videri potest Chrys. hom. 83. citatâ.

Contrarium sentit Hilarius citatus à D. Th. can. 30. in Matth. qui censet Iudam ne quidem cœnæ Paschali interfuisse, cui suffragantur quidam alij, pro quorum sentẽtiâ potest obijci; quòd Iudas statim post acceptam buccellam exierit, vt patet ex cap. 13. Ioãnis, Christus autem videatur buccellam porrexisse ante institutionem huius Sacramenti.

Resp. duplicem esse hac de re sententiam. Aug. tract. 62. citato & quidam alij censent buccellam fuisse traditam Iudæ post sumptionẽ Eucharistiæ, iuxta quam sententiam nulla est difficultas. Alij verò existimant datam fuisse ante institutionem huius Sacramenti, S. Leo serm. 3. citato his verbis: *illa saltem te à præcipitio tuo Sacramenta reuocassent, quæ in Paschali cœna iam de perfidiâ tuâ signo diuinæ scientiæ detectus acceperas*, signum autem hoc fuit porrectio buccellæ; & videntur fauere Matth. cap. 26. & Marcus cap. 14. iuxta quos Iudas videtur buccellã accepisse ante institutionem Eucharistię, nimirum in cœnâ legali. secundùm illam sentẽtiam difficultas est, quomodò hoc Sacramẽtum receperit, cùm secundùm Ioannem acceptâ buccellâ continuò exierit?

Dici tamen potest Iudam non recessisse, nullâ interpositâ morulâ, sed cùm post buccellam acceptam datũ ei fuisset corpus Christi, & dictum *quod facis, fac citiùs*, hoc enim audito, statim discessit. Dicit verò Ioannes: *cùm ergo accepisset buccellam, exiuit continuò*, vt indicaret causam, propter quam exiuit, nimirũ quòd post acceptam buccellam Satanas in eum introierit & fuerit in malo obstinatus, atque ad facinus patrandum à dæmone possessus. atque ita statim exierit sumpta occasione ex illis verbis: *quod facis, fac citiùs*. vtraque respõsio est probabilis, quamuis multi in priorem videantur consentire, iuxta quam dicendum Matth. & Marcum fuisse locutos per anticipationem, Lucam verò seruasse ordinem, cùm post absolutum Eucharistiæ mysterium dicit: *verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensâ*.

Articvlvs III.

Vtrum Christus sumpserit, & discipulis dederit corpus suum impassibile?

Respondet dedisse passibile, modo tamen impassibili; nam, vt in superioribus dictum est, corpus Christi in hoc Sacramento existit in puncto, & proinde prout existit in hoc Sacramento non potest pati ab agente naturali. videri possunt dicta quæst. 76. art. 6. dub. 2. Resp. neg.

Articvlvs IV.

Vtrum si hoc Sacramentum tempore mortis Christi fuisset seruatum, vel consecratum, ibi moreretur? 4.

Respondet quòd fuisset mortuum, quod patet ex dictis q. 76. art. 2. dub. 1. cùm enim anima sit tantùm per concomitantiam in hoc Sacramento propter connexionem, quâ partes in statu naturali inter se copulantur, eo autem tempore corpus in statu naturali non fuisset informatum animâ, sequitur eo tempore non futurum fuisse informatum animâ in hoc Sacramento, & proinde si tunc facta fuisset consecratio, ponendum Christi corpus mortuum, & si hostia antè cõsecrata mansisset in eo triduo consecrata, corpus eo tempore futurum fuisse sine animâ. Resp.

Nec obstat quòd non fuisset vllo modo passum ab agente naturali, quia vt corpus quod prius erat viuum, sit mortuum, non requiritur vt patiatur à causâ naturali.

QVÆSTIO LXXXII.

De ministro huius Sacramenti.

Articvlvs I.

Vtrum consecratio huius Sacramenti sit propria sacerdotis? 1.

Affirmat. Aduerte conclusionem D. Th. ante tempora Wicleffi fuisse in Ecclesia indubitatam; ille verò, vt refert Waldensis tomo 2. cap. 28. cœpit dubitare; nam quamuis censeret hoc officium decere sacerdotes sanctos, nihilominus existimauit posse etiam conuenire laicis nõ ordinatis. Lutherus autem absolutè censuit quemlibet Christianum habere potestatem consecrandi, immò Sacramentum futurum ratum etiamsi à diabolo conficiatur. censuit tamen extra tempus necessitatis nullum posse hoc officiũ assumere, nisi legitimè vocatum, idque ad vitandam confusionem. Caluinus ita requirit legitimum ministrum, vt Sacramentum sit futurum irritum, nisi à tali conficiatur. videri possunt apud Bell. lib. 4. de Eucharistia cap. 16. Resp. affir. *Wicleffi* error. Et *Lutheri*. 2.

Verùm conclusio D. Th. quòd scilicet solus sacerdos possit validè hoc Sacramentum conficere, est de fide, definita in Concil. Lateranensi, & refertur cap. *firmiter* §. *una verò*, de summâ Trinitate, Conclusio D Th de fide. Cap. *Firmiter*.